

V 2  
5302



et  
W

D  
L  
T

A  
N



174. (59)

194

LUTHERVS ELIAS,

hoc est,

Vg  
5302

D. MARTINI  
LUTHERI ET ELIAE  
THESBITAE COMPARA-  
TIO, IN QVA PRAECI-  
puæ vtriusq; res gestæ breuiter  
delibantur.

AUCTORE M. VITO VOL-  
*frum Hilperhusano, Franco.*

ANNO CHRISTI 1590, DIE  
NATALI LUTHERI, QUI MARTINO  
Episcopo sacer est, publicè recitabatur in illu-  
stri SALANA, fideli & strenua de-  
positi Lutherani custode ac  
propagatrice.



J E N A

Typis Tobia Steinmanni  
Anno 1591.



HIERON. VVELLE-  
RVS IN EPIST. AD  
E B E R V M.

**O**MNES MIHI SCRIPTORES  
Ecclesiastici, quamlibet eruditi, qui non Lutheri vesti-  
gijs insistere student, suspecti sunt. Certus enim sum, nunquam  
exoriturum esse, qui hunc ELIAM nostri seculi felicitate  
docendi, aut dexteritate interpretandi sacram scripturam,  
& spiritu victurus sit. Nec vereor ipsum, quod ad dona  
& certamina pertinet, cum Apostolo Paulo conferre. Certè  
diuina sua eloquentia, ut vas electionis, multos alios superare  
videtur. Ego qui tot annis virum DEI audiui, & scripta  
eius assidue legi & relegi, nunc demum incipio illum rectè  
admirari, magnifacere & intelligere, ac doleo, quòd non  
diligentius illius monumenta euoluerim.



DECANVS COLLEGI  
PHILOSOPHICI IN ACADE-

MIA SALANA ZACHARIAS

BRENDELIVS, Medicinæ & Philo-  
sophiæ Doctor, studioſæ  
iuuentuti S.

VLT A M A G N A

que in nos beneficia hac extrema  
mundi ætate contulit DEVS. Illud  
verò facile primas obtinet, cuius  
amplitudinem nemo mente conſequi, nedum ora-  
tione exprimere poteſt, quod cum patrum no-  
ſtrorum memoria Eccleſia Chriſtiana Romani  
pontificis libidine & ſeuitia triſtiſſimum ad mo-  
dum oppreſſa fuerit, & religionis doctrina tene-  
bris plus quam Cimmerijs obſcurata, adeò ut pu-  
tidiffimum indoctiſſimorum monachorum ſpu-  
tum diuino ſacrarum literarum Nectari &  
Ambroſiæ longè anteponeretur, hodie benigniſſi-  
mi DEI munere, miniſterio autem atq; operâ  
Reuerendæ & ſanctiſſimæ memoriæ viri Dn. Do-  
ctoris Mart. Lutheri ex ſeruitute Babylonica in  
veram & Chriſtianam libertatem aſſerti, ex Ty-

A 2

rannide

rannide Antichristi in Christi regnum translatus  
sumus, & ex densissima istorum temporum caligi-  
ne clarissimam Evangelij lucem respexerimus.  
Quod summum beneficium utinam omnes, qui eo  
fruimur aut certe frui possumus, si velimus, grata  
potius mente agnosceremus, & quotidie de eo gra-  
tias aeterno Deo ageremus, quam sugillanda &  
elevanda Lutheri autoritate, opinione quidem no-  
stra eximia cuiusdam eruditionis, eloquentia,  
quin & (si Dys placet) pietatis laudem affecta-  
remus, re autem ipsa aeternam nostram, & fasti-  
dium caelestis illius Manna testatum faceremus.  
Fortasse officij mei non est, pluribus hoc in loco ea-  
de re conqueri: Dicam tamen quod sentio, toto  
pectore me dolere atq; ingemiscere, quoties adeo  
sordere ingratisimo huic seculo Lutheri scripta  
animadverto, ut quanto quaeq; ex his meliora  
sunt, tanto magis negligantur, aut etiam, proh  
dolor, repudiantur. Quod ipsum nimis vere pra-  
fatione in 1 Tomum Germanicorum operum  
suorum vir divinus praesagijt. Quo magis pro-  
bo studium atq; operam viri vere docti ac pii M.  
Viti Wolfrumi, quam in commemorandis &  
praedicandis beneficijs illis, quae per D. Lutherum  
huic

huic aetati nostrae prestitit DEVS, collocavit, atq;  
ut illustriora ea essent, comparationem quan-  
dam Lutheri cum sanctissimo Propheta Elia insti-  
tuit, aptè inter se collatis primùm temporibus, in  
qua utriusq; vocatio incidit: deinde virtutibus  
heroicis: tum rebus gestis: successu deniq; atq; euen-  
tu. Ea omnia quia carmine diligenter elaborato  
complexus est, quod die crastino, qui natalis fuit  
huic Eliae nostro D. Martino Luthero hora pri-  
ma pomeridiana in loco doctrinae publicae recita-  
bit: omnes verae pietatis & optimarum artium  
studiosos adolescentes pro officio hortor atq; mo-  
neo, ut ad recitationem hanc frequentes conflu-  
ant, & hac ipsa re ostendant, se grato animo  
agnoscere beneficium DEI, quod electo hoc or-  
gano suo excitato ac defenso, & scriptis ipsius ad  
posteritatem propagatis, Patriae nostrae Germa-  
niae & multis alijs regionibus contulit: idq; ut in  
hac mundi ingratitude & temporum difficulta-  
te perpetuum nobis esse velit, toto pectore nobi-  
scum precentur. Valet. P. P. 4. id. Nouemb.  
Anno à C. N. 1590.

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

NOBILITATE GEN-  
ERIS, PIA ET ERVDITA DO-  
CTRINA, HVMANITATE ET  
integritate præstanti Domino Georgio Friderico Mus-  
mano, Onoldino, amico & fautori suo honorando  
bonum & felicem nouum annum precatur  
M. VITVS VV.



IRARIS FORSITAN,  
nobilissime Domine Musmane,  
me his pagellis tuos adire Lares,  
sed mirari desines opinor, si consi-  
lij mei rationes, quæ nec nullæ  
sunt, nec leues, examinaueris. Ago de Luthero  
summo Theologo, cuius memoria omnibus  
verè pijs non potest non esse gratissima. Nec ta-  
men omnes eius virtutes ac laudes commemo-  
ro, id quod esset maioris industriæ, longioris  
temporis, & iusti ac spaciosi voluminis. Præ-  
cæteris mihi iam placuit argumentum, quod  
æquum nostrarum Ecclesiarum de Luthero iu-  
diciū mihi suppeditat: Appellant eum po-  
stremi seculi Eliam. Hoc quam verè & benè fa-  
ciant, hac oratione demonstrare conatus sum.  
Quam feliciter autem, quod tentavi, præsti-  
tum sit, candidæ bonorum virorum censuræ  
permitto, quippe quid Romanenses aut dipno-  
sophistæ



sophistæ garrituri sint, parui pendo. Hoc scio,  
nihil à me scriptum esse, quod non longè super-  
rent eius in vniuersam Ecclesiam merita. Certè  
excubijs & certaminibus suis vtilissimis sanam  
Euangelij doctrinam, sub papalibus tenebris  
sepultam eruit, erutam expoliuit, expolitam ad  
posterios propagauit, & propagatam vero atq̃  
ardenti Zelo sincerè conseruari voluit. At  
verò qualem se ad tanta beneficia gerat homi-  
num ingratitude, non sine acerbo dolore quo-  
tidie experimur. Qui olim currus erat & eques  
Israël, qui Ecclesiæ oculus erat, hodie iniquè  
eorum quoque fert censoriam virgulam, qui  
vtrum Aesopum triuerint, fortasse ambigas.  
Nemo ferè est, qui se Luthero multò expedi-  
tius atq̃ felicius idolomaniam pontificiam con-  
fundere & conficere potuisse non opinetur.  
Sordent Theologastris nonnullis, Chamæles  
onte mutabilioribus, iam monumenta, quæ  
optimè optimus optima reliquit. Imo qui  
cæteris furiosius in sanctos cineres debaccha-  
tur, constantiæ & ὀρθοδοξίας nomine suspicitur.  
Fortiter & strenuè pugnabat is pro veritate,  
iam audit φιλόνοιος: erudito eloquentiæ flumio-  
ne illustrabat sacras controuersias, iam contem-  
tim audit rudis & Teutonicus Martinus: gra-  
uis erat in vita & moribus, iam audit super-  
bus:

bus : sudoribus & vigilijs fractus nonnumquam exporrigebat frontem, iam audit scurra. Quid multa? in sinceritatem doctrinae coelestis & Lutheri laudem obscurandam & supprimendam conspirasse videntur omnes Cacodæmones.

Ecquisnam verò hominibus satisfecerit, si vir hic sanctissimus & integerrimus non potuit? Sed mundus est mundus, & quam lupus animum non immutare, tam hic improbitatis suae cacoëthes exuere non potest. Hæc fors fuit omnium Prophetarum, Apostolorum, & aliorum veritatis professorum. Idem hodie expectabit pius & fidelis verbi DEI minister. Nam non nisi sui similes amare nouit insana huius seculi rabies. Sed quo rapior? Ego me istorum *καινολογία* & *κενολογία* improbare, & dextrè de Reuerendi Patris Manibus & laboribus sentire, carmine isto testatum facere annitor. Non equidem elocutionis nitor is hic reperitur, quo dignus erat Megalander: verum voluntatem meam laudes eius describendi multis bonis viris non improbatum iri spero.

Tuo autem nomine hanc meam lucubrationem Typis edo, vt contra Sycophantæ morsum isti sis patronus. Cum enim eodem mecum feruore & fauore Lutheri honestam famam tuearis, non patieris laborem meum arrodi. Deinde quando aspicio tuam beneuolentiam, qua

qua me tale nihil meritum prosequeris, prope  
modum me pudet meæ tenuitatis, quod, vt par  
erat, isti hæctenus non respondi. Sed en tan  
dem se offert qualiscunq; mei erga te animi ape  
riendi occasio. Hoc igitur leuidense munuscu  
lum, quod strenæ loco hoc noui anni auspicio  
tibi consecro, perpetuum meæ erga te obser  
uantia argumentum esse volo, & peto, vt dein  
ceps quoq; tuo me fauore complectaris. Quod  
si officijs id compensare non potero, operam ta  
men dabo, ne quicquam gratæ promptitudinis  
in me desideretur. B. V. Iena ex museo nostro  
3. Non. Ian. Anno Christi 1591.

T. H. N.

*Studiosissimus*

*Vitus Volfrum M.*



Aec est illa dies, doctissima concio, qua  
Propitius roseo visit ab axe D E V S. (nos  
Hic optata salus longos miserata labores  
Dignata est nostros blanda subire Lares.  
Maiores nostri fuerant caliginis vmbra  
Immersi, & dederant impia thura focis.

Ignorabatur fermè crux integra Christi,  
Nutabat pietas traditione patrum.  
Sed D E V S vlturus Satanæ mendacia, misit  
Seruum, qui verbi munere ferret opem,  
Lutherum legit paruis genitoribus ortum,  
Sæpe expectatum qui aggredereetur opus,

B

Hunc

Lutherus  
natus an-  
no Christi.  
1483.  
Islebij.

Hunc dedit aërias sub amici luminis oras  
Islebium, Hercynijs vrbs bene nota iugis.  
Iam bis septem ierant à nato secula Christo,  
Messibus annuera lustra bis octo tribus.  
Hem quantum puerum peperisti mater, inermi  
Is Romæ inuictæ contudit arma manu.  
Qui Latij quondam trepidarat ad atria templi,  
Fulmina deridet bruta, trucesq; minas.  
Extincto Caco, rediuiua oracula vatum  
Herculis Albiaci per monumenta vigent,  
Mundo Euangelij fax est accensa misello,  
Et surrexerunt dogmata pressa situ,  
Intemerata fides successit sedibus hospes,  
Quas incestarant per sua texta scholæ.  
Romanum monstrum, iaculis cœlestibus ictum  
Et victum, lacrymis fata cruenta rigat.  
Tanti ergò Herois longè fortissima facta  
Hæc præsens nobis fert recolenda dies.  
Commendent alij Thaidis Babylonicæ amores,  
Sermonisq; vagi sesquipedale genus.  
Suspiciant alij Bezam: mirentur in illo  
Verborum phaleras compositasq; strophas.  
Coccygnos cuculi laudet deformis Alecto,  
Me miratorem Dauhas ales habet.  
Me bona delectat Megalandri fama Lutheri,  
Et qui veridico manat ab ore lepos.  
Huius pro meritis celebrandis seruiet ista  
Musa, licet vena pauperiore fluat.  
Qui benè agit, semper florebit, nec finet vnquam  
Dignum laude virum mens generosa mori.  
Verum non vnà possunt absoluier hora,  
Quæ forsan pariter commeranda forent.

Vix

Vix caperet iustum præconia tanta volumen,  
Quæ tot virtutes teste vel hoste merent.  
Vnum duntaxat delegi hoc tempore, quælo  
Attentis animis dispiciatis idem.  
Dicitur extremi seculi Lutherus Elias,  
Hoc quam sit verum nostra Camœna feret,  
Sed brevis esse volens tantum fastigia rerum  
Summa sequar, facto hoc postea finis erit.  
Nec verò has partes temerè mihi sumo, quasi ipse  
Hac re præ reliquis quid valuisse queam,  
Quæ mea sit video & fateor balbutia, parcè  
Nobis Castalias Musa ministrat aquas,  
Vos & iudicio & linguis excellitis, atqui  
Nullus in hoc tenui carmine splendor inest.  
Iussit, qua veneror sanctum, reuerentia, Patrem,  
Ardens nolentem me stimulauit amor.  
A Coò tantùm pingi fingiq; Lysippo  
Aemathium perhibent se voluisse Ducem.  
Nam quantò est heros maior sublimibus ausis,  
Tantò vult versu nobiliore coli.  
Multos eximijs donis natura beavit,  
Qui propè consuerunt ocia pigra sequi.  
Aut in non meritos sannasq; iocosq; profundunt,  
Aut scribunt Veneris turpia furta suæ.  
O hominum mores, ô secula, siccine dotes  
Ingenij autorem demeruere suum?  
Si quid habes, si quæ tibi sunt in carmine vires,  
Fac tandem discas munus id esse DEI.  
Ad Dominum redeant præclari muneris vsus,  
Digni inclarescant te modulante viri,  
O vtinam calamo magè dexter Apollo faueret,  
Et fluerent Clario verbaq; resq; vado;

B 2

Vberiore

Vix

Vberiore tuas celebrarem carmine laudes ,  
Metri argumentum dulce , Luthere, fores.  
His ego delicijs animo faturarer abundè ,  
His nostrum studijs inuigilaret opus.  
Sed tamen , vt quimus , soluentur debita vati ,  
Si non, vt volumus, pectore metra fluunt,  
Si defunt vires , laudem voluisse meretur ,  
Non rarò magnis munera parua placent.  
Vtq; Hecatombæo placatur sanguine fuso,  
Sic capitur minimo thuris honore D E V S.  
Nunc dabis aura viam , præbebo carbasa ventis ,  
Tranquillis opto cymba feratur aquis.  
Quæ res exponant mihi suffice , Pieri, verba ,  
Sed quid in auxilium numina muta voco ?  
Oro meis ceptis præsto sis Christe Sequester,  
Nam te cui soli feruijt iste , canunt.  
In te feruorum refilit fortuna tuorum ,  
Siue bonam detur cernere, siue malam.  
Quanta ministerio Lutheri commoda nobis  
Obtigerint , crebrò nos meminisse decet.  
Tu dux officij & vitæ , tu Christe laborum  
Exantlatorum fautor & autor eras.  
Thesbites primum subiens communia vatum  
Pensa , videt vaftris omnia plena dolis.  
Doctrinam Flamen fœdè turpârat auitam,  
Stabant Diuorum fana dicata iugis.  
Cæcorumq; ducum plebs cæca imitata furorem ,  
Ad cultus passim tracta Baalis erat.  
Iam declinârant proceres cum rege : nec vsquam  
Accendebatur victima grata D E O.  
Impietas summè toto succreuerat orbe,  
Non vires poterat sustinuisse malum.

Temporis

Temporis ergo status iussit, Podalirius esset,  
Qui tantam medica tolleret arte luem.  
Surrexit Flatus monitu stimulatus Elias,  
Inq; suos humeros grande recepit onus.  
Dogmata pura sonans, & fortiter impia carpens  
Restituit prisco sacra nitore D E O.  
Solutus erat: multos altare Baalis habebat  
Mystras, sic castum vincere falsa solent.  
Simplicitatis erat sanctæ studiosus, at isti  
Ficta splendebant integritate foris.  
Nutabant corpus, facturi vota, gementes,  
Turpabant cultris lanceolisq; cutem.  
Certatim fuso sua membra cruore rigabant,  
Traxerunt totas voce sonante dies.  
Iactarunt etiam præfagia falsa Prophetæ,  
Iactarunt numen scire futura suum.  
Iam confer populum populo, vatemq; Luthero,  
Confer temporibus tempora, sacra sacris.  
Cum stabulum Augiæ primum Lutherus adiret,  
Vires atq; animos suppeditante D E O:  
Sanctorum idolis Ecclesia mille scatebat,  
Sanctis fundebat plebs furiosa preces.  
Sufficiens Christi λύτρον per templa silebat,  
Credebant sese per sua facta pios.  
Mendaci semper Moyles errabat in ore,  
Languibatq; operum pondere pressa fides.  
Antistes Latius, veri mentitus amorem,  
Pectoribus stupidis vendidit ære polum.  
Religione sua summos furiârat & imos,  
Monstroso patri stabat in æde decus.  
Pastores, sacri neglecto Codice verbi,  
Replebant hominum traditione domos.

B

Pulpita

oris

Pulpita fabellas audires ferre merasq;  
Mirasq; : ætherias nemo legebat opes.  
Rex venerabatur Romani somnia monstri,  
Grex venerabatur sceptrā secutus idem.  
Claustra redundabant monachis : delubra prophanis  
Sacrificis : stabant facta sacella Stygi.  
Atra fatigabant hi per jeiunia ventres ,  
Ille videbatur posse futura loqui.  
Cædebant alij tortis sua corpora flagris ,  
Ut luerent noxæ damna cruore suo.  
Sæpè dies totas vlulabat planctibus aura,  
Consuerant noctes ingeminare choros.  
Sed cur non Christus rideret, hypocrita, vestros  
Cultus , cui tantum seria vota placent ?  
En sub papatu respondent omnia seculo ,  
Quo pius Elias vixit in orbe miser.  
Roma Palæstinæ est similis, Lutherus Eliæ,  
Hic donis Flatus , turpibus illa dolis.  
Sæpè onerat probris meretrix Babylonica nostrum  
Vatem , quòd voti ruperit ille fidem.  
Et quod Apostolica non sit sub sede vocatus,  
Et noua tradiderit dogmata more nouo.  
Esto hoc, sed rectè omnino discessit ab illa  
Colluue , Iesu quæ tua λύτρα negat.  
Nos parere D E O decet & fugisse salutis  
Hostes, sed contra qui facit , errat inops.  
Sit quoq;, non illum Romana cathedra vocarit,  
An vitæ idcirco iussa docere nequit ?  
Dic quis Thesbiten misit ? non mysta, nec aula,  
Sed tamen à Christo munia iussus obit.  
Ut res collapsas populo restauret Idumes ,  
Et verbum Domini forde nocente leuet.

Ergò



Ergò agite hunc Domino placuisse negate Quirites,  
Sic quoq; Lutherus Doctor inanis erit.  
Sed pergo vt videam mores vtriusq; , recondas  
Auditor facilis sensibus ista precor.  
Elias nullo vultu perterritus , audet  
In faciem populi facta notare sui.  
Spernit contemptus omnes animosus & acer ,  
Impositumq; humero fert patiente iugum.  
Non populi fremitus , non toruam regis Achabi  
Iram , non procerum vimq; minasq; timet.  
Non vllis parcit sudoribus : impiger vrget  
Officium : & feruens iussa superna sonat.  
Odit gloriolæ vanæ spiramen , & auram  
Vulgarem , gaudens Ioua fauore tuo.  
Diues opum cœli non tollit vertice cristas ,  
Quæq; potest scit se posse regente D E O.  
Indulget veniam fassis peccata : coercet  
Prudenter legis fulmina iacta malos.  
Omnibus ex æquo mysteria discutit, Iro  
Et Cræso : iuueni decrepitoq; seni.  
Omnes saluaret , fieri si posset , & agrè  
Fert hominum æterna morte perire genus.  
Sanè est Amriades , rex Israëlis , honore  
Atq; opibus magnus, sanguinolentus, atrox.  
Fastidit Domini seruos : oracula vatum  
Despicit : idolis impia vota facit.  
Innocuos iugulat , vel sedibus eijcit aulæ ,  
Iusti Nabothi sanguine foëdat humum.  
Impietatis amans naso suspendit adunco  
Micham, quem foëdo carcere squalor habet.  
Ense sacerdotes mendaces protegit : auro  
Ditat , & optata prosperitate fouet.

Quid

Quid facit Elias ? num tanti regis amore  
Siue notanda probat , siue probanda notat ?  
Nequaquam verò , sed Zelo flaminis actus  
Intrepidè his pungit sceptrum superba sonis :  
Tu rex ipse moues gentem Ibraele creatam ,  
Tu regnum turbas improbitate tua.  
Exemploq; nocet alijs : præscripta Ichouæ  
Deferis , & sacras depopularis opes.  
Numinibus per te fictis altaria surgunt ,  
Fumat odoratis hostia cæsa focis.  
Tu cumulas regno morbos , & bella famemq;  
Per te perq; tuos paxq; fidesq; labant.  
Tu fasces , non hos concessum munus in usus ,  
Ad sacra conuertis diminuenda DEI.  
Sic quoq; Achasian natum compellat Achabi ,  
Qui patre defuncto regia frena tulit.  
Is cum iam binas messes tenuisset habenas  
Imperij , foeda tempora labe trahens ;  
Lethali tandem casu sine viribus æger  
Nescit vtrum possit viuere , siue mori.  
Lecto igitur fixus seruos ad tecta Baalis  
Mittit , vt exquirant fata futura sibi.  
Nempe malus , temnens Dominum , durefcit ad ictus  
Non sapiunt pœnis reproba corda datis.  
Saulus , multoties cæsus victricibus armis ,  
In mala quottidie deteriora ruit ;  
Donec completa mensura consulit Orcum ,  
Expiransq; suum perforat ense latus ?  
Quid fit ? Thesbites , monitu cœlestis alumni ,  
Occurrens seruis talia fatus ait :  
Quare vester herus , Zelo pietatis omisso ,  
Vani tantoperè festa Baalis amat ?

Anne

An ne D E V M nullum sancta reperitis in vrbe,  
Qua longè & latè templa Sione nitent?  
Quid rex inceptat demens? peccare fuisset  
Ante satis, lecto tabida membra gemit.  
Debebat lacrymis turpes abstergere sordes,  
Et de flagitijs indoluisse suis.  
Sed cumulat pœnas, & falsos, nocte sepultus  
Eumenidum, sequitur mente pauente D E O S.  
Ite idolatræ noua nuncia ferte ministri,  
Quæ pando vobis significante loua.  
Quando quidem Domini spreuisti altare, vicissim  
Auersus spernit teq; tuamq; domum.  
Quem conscendisti, lecto moriere, prophanis  
Ut reliqui discant abstinuisse focis.  
Hæc equidem famulis: sed coram rege scelesto  
Dicit idem zelo magnus, & ore potens.  
Hinc tibi colligere est, quàm fortiter iste Propheta  
Sæpè sit aggressus summa pericla necis.  
Ut tantum vrgeret sua pensa fideliter, & re  
Testatum faceret se placuisse D E O.  
Lutherus noster simili grauitate fideq;  
Mandatum fretus Numine fecit opus.  
Ex Euangelij nôrat dulcedine mentes  
Erigere, & puidos reddere lege malos.  
Quando intricarat dubius Labyrinthus inertes,  
Filo Ariadnæo molle docebat iter.  
Quæstio de rebus si magnis esset oborta,  
Quæ malè torqueret lubricitate alios,  
Consuluit vigili sacros indagine fontes,  
Nulla moraturus stagna lutosa S C H O L A E.  
Constanter verum opposuit mendacibus ausis,  
Cœlestem verbi crate refinxit agrum.

C

Omnes

Omnes articulos purgavit fece, recludens  
 Mirifica sacros dexteritate libros.  
 Templum Leucoreum pendebat ab ore docentis,  
 Miratum tanti dona stupenda viri.  
 Suspiciebat eum longinqua sede remota  
 Tellus, doctrinae tacta vigore nouae.  
 Crebro gestabat manibus dignissima cedro  
 Scripta, quibus fortes fuderat ipse manus.  
 Ex quibus (agnoscat mundus) ceu fonte perenni  
 Nostra salutiferis ora rigantur aquis.  
 Non tantum nauos hominum taxabat aperte  
 Quos casa stramineo culmine facta tegit.  
 Verum etiam lingua summas progressus ad aulas  
 Carpebat grandes nobilitate viros.  
 Intrepidè iussus conscendit ad atria regum,  
 Constantiq; suam prodidit ore fidem.  
 Quis nescit veterem & synodis super aethera notam  
 Urbem, Vangionum finibus illa iacet.  
 Vitiferos colles sinuoso gurgite Rhenus  
 Dissecat, & gelido flumine rura lauat.  
**CAROLVS** imperij statibus sub tecta coactis  
 Splendida, Lutherum tum quoq; adesse iubet.  
 Aduolat hic, monitis parens illustribus, etsi  
 Anceps discrimen cingit ubiq; caput.  
 Multi dicebant: in aperta pericula vadis,  
 Parce Luthere tibi, parce Luthere tuis.  
 In te perdendum iam conspirauit iniqua  
 Factio pontificis, vi celer, ense minax.  
 Sed causae fretus bonitate, poli q; verendo  
 Praesidio, ceptum tendere pergit iter.  
 Haec dissuadet, ait, mihi subdolus Arbiter Orci,  
 Qui pia dissidijs, si licet, ausa premit.

Magno

Comitia  
 VVormat-  
 cienza  
 anno  
 1521.

Magno facta loco confessio franget Auerni  
Vires, quod metuit non sine bile Satan.  
Non fugit accensam lucem mens conscia veri,  
Obscuras tenebras, qui malè fecit, amat.  
Reuera dictos mihi vellem intrare penates,  
Si Stygius coluber tegula quæq; foret.  
Non est, quod curem trepidantis murmura vulgi,  
Aut rōchos metuam, Papa profane, tuos.  
Quæ docui ex sacris, defendam sanguine fuso,  
Id mihi si forsan prouida fata ferent.  
Dulce sequi fuerit per summa pericula cœlum,  
Dulce est pro Christi religione mori.  
Sed viam, nisi me spes & sententia fallunt,  
Hac causa, Christo vindice, tutus ero.  
Cum verò dictam properans venisset ad urbem,  
Inclyta magno animi robore tecta petit.  
Dignaq; concilij tanti præfatus honore,  
Cæsare præsentī, principibusq; viris,  
Firmæ instar rupis (quæ fluctibus vndiq; quassa  
Durat) stat constans, propositiq; tenax.  
Non rigidi vultus, non ardor praua iubentis  
Expugnare potest pectora fulta D<sup>E</sup>O.  
Non secus ac lapidi, qui fert formam atq; colorem  
Grandinis, indomito frigus in igne suum est.  
Quæ semel est verbi norma ducente professus,  
Defenditq; & se cedere posse negat,  
Ni conuincatur scripturæ luce, quod erret,  
Et nocitura gregi dogmata fraude serat.  
Priuatos monitus Treuirensis Episcopus addit,  
Et dicit rebus se benè velle viri.  
Promittunt alij pateras & gemmea dona,  
Adiungunt alij dicta seuera minis.

C 2

Sed

Chalazias,  
Apud  
Plin. lib.  
37. c. 11.

Sed verè curuo profcindunt littus aratro,  
Et sua sperato pondere verba carent.  
Quid meretrix Tarpeia, nigris dignissima barris,  
Constantem pergis sollicitare virum?  
Non, non conueniunt, nec in una sede morantur,  
Christus, & inferni vinctus ad antra Draco.  
Serpentes ouibus iunges, & tigribus agnos?  
Cessa, nil precium, nil maledicta valent.  
Mens immota manet, vires iactantur inanes,  
Nil facit ad coeli gaza caduca decus.  
Si quis habet Christum, sat habet, mihi crede, bonorum,  
Disperitura fugax cætera tempus edit.  
Si patriæ fines & dulcia deseris arua  
Ob Christum, externa numen habebis humo.  
Contingit, scimus, quis vt hac pius exulet vrbe,  
Orbe tamen profugo mansio fortè datur.  
Sic nouus Elias vicit Cacodæmonis astus,  
Insidias pariter disce cauere Stygis.  
Magna recensebam, sed post hac plura sequentur,  
Roboris inuicti signa reconde sinu.  
Rex Anglus, Latix sedis furiatus honore,  
Lutheri oppugnat scripta tonante stylo.  
Quid facit Albiacus monachus? num friget in audax,  
Cum legit illustri condita scripta manu?  
Num calamum ponit? num maiestate mouetur,  
Vt quicquam in causa somniculosus agat?  
Eiusdem quondam firmârat epistola ciues  
Lipsenses, ferrent vt patienter onus.  
Et potius summum capitis discrimen adirent,  
Quàm timidi ad duri Principis ausa forent.  
Quippe minis cogi ille putabat posse popellum  
Ad mutilæ in Missa tinnula sinistra dapis.

Heinricus  
Britanniæ  
rex.

Georgij  
Saxonis.

Illicet

Illicet exclamat Princeps : mihi concitat iste  
Subiectos : turbat seditiosus agrum  
Sed sine respectu sceptri & splendoris vtriq;  
Respondet vates Flaminis auctus ope.  
Foedaq; declinans conuicia , pacis amantem  
Se detestari futile schisma, docet.  
Dicere non possum studio breuitatis , vt idem  
Diluerit Guelfi crimina ficta Ducis.  
Deijcit impaudè per verbi tela coronam  
Papæ : non timidum Cæsaris ira facit.  
Imò iubet tantum hunc curare negocia regni,  
Verbo Ecclesiolam cum D E V S ipse regat.  
Sceptra magistratus gerit , vt Respublica constet,  
Non vt vi Christi membra potente premat.  
Quando potestati, quæ debet, subditus offert,  
Non est Messia prætereundus honor.  
Tradidit is fasces, certo vt se limite seruent,  
Hunc si transiliant, pectore flamma furit.  
Nonne hoc est oculis diram spreuisse Megaram?  
Nonne hoc est munus sedulò obire suum?  
Sic Baptista ferum Rectorem affatur Idumes:  
Non tibi concessum est fratris adire torum.  
Sic Daniel vero pietatis feruidus æstu  
Præsentis regis turgida corda ferit.  
Sic facer Ambrosius, sic ille Leontius, Istri  
Præsul, Cæsarios increpuère sinus.  
Porro Thesbites reuocat de morte Sareptæ  
Filiolum , à cuius matre cibatus erat.  
Qui Domini, vt par est, seruos veneratur & ardet,  
Viuet cum stimulis fors rabiosa furet.  
Tres annos cœli conuexa palatia claudit,  
Ne pluuiæ in terram gutta vel vna cadat.

Heinrici  
Brunsvi-  
censis.

C 3

Et

Et rursus, quando placet, illa recludit, & Amri  
Natum, ne madeat, tecta subire jubet.  
Non oleum ampullæ, non farra deesse canistro  
Vota sinunt, alios dum necat atra fames.  
Interitum toti domui prædicit Achabi,  
Cum bona Nabothi fraude paterna rapit.  
Ense sacerdotes actus feruore trucidat,  
Extra Baalitico qui posuere foco.  
Plura Palæstinæ terræ prece commoda præstat,  
Auertit populi noxia damna sui.  
Sæpè intercessu coelestem leniit iram,  
Sæpè retardauit fulmina missa polo.  
Esuriem gemitu præcauit & aspera bella,  
Præcauit rapidæ dira venena luis.  
Currus equesue suis erat Israele creatis,  
Donec in hoc fragili tegmine carnis erat,  
Nam licet immani neget hoc feritate Tyrannus,  
Turba licet gaudens impietate neget:  
Attamen agnoscit bona tanta minister Elifas,  
Et raptum grato prædicat ore senem.  
Sed quinam, videor plures audire rogantes,  
Hæc ad Lutherum commemorata refers?  
Non facile ex nobis quisquam dubitauerit, ista  
Fecisse Eliam, cui suus ardet honos.  
Verùm vbi Lutherus doctrinæ ad texta probanda  
Edidit insolitis signa stupenda modis?  
Quando defunctos vita, reuocauit ab Orco?  
Illius ad nutum quando rigatus ager?  
Quando cados oleo: cophinos vbi fruge repleuit?  
Libera quando dedit Teutona regna malis?  
Quin potius nobis vecors pestemq; famemq;  
Bellumq; attraxit religione noua.

Heus



Heus bone vir noli famam lacerare Theandri,  
Hoc præiudicio præcipitanter agis.  
Non equidem, fateor, demortua viscera vitæ  
Reddidit, at quæso percipe maius opus.  
Nonne animæ virtus longè est præstantior hisce  
Corporis exuvijs? annuis, ergo taces.  
Iam per Papatus crudelia regna sepultas  
Mentes Cimmeria nocte fuisse patet.  
Est melius nunquam nasci, quam nasci, vt Auerno  
Aeternum piceis subijciare rogis.  
Vita quid est, Phoebi sine luce? quid? umbra, sepulchrum,  
Quid sine cœlesti luce? quid? umbra, nihil.  
Ergò Lutherus quoniam de morte reduxit  
Innumeras animas voce sonante fidem:  
Et benè discussit verbi splendore tenebras,  
Quæis tum papalis tota latebat humus:  
Non appellari malè posse videtur Elias,  
Sæpè subest istis gratia magna typis.  
Sed rursus oggannit nostro minus æqua labori  
Turba: ministerij par ibi iudicium.  
Omnes, qui dextrè referant oracula vatum,  
Pallentes animas ex Acheronte trahunt.  
Omnes Eliæ sic assimulentur oportet,  
Morte vehunt homines, mystica quando docent.  
Responsum tale est: maior tamen ipse Lutherus  
Omnibus & donis, & pietate fuit.  
Vinetum Domini maiori exercuit æstu,  
Plus fecit fructus, plura pericla tulit.  
Adde, quod antiquis seclis commune prophetis  
Id voluit Dominus pluribus esse bonum,  
Ille Sareptanæ matris, Sunamitidos iste  
Natum, alios alius surripuit tumulo.

Tum

Tum firmandus erat doctrinae cursus, at isto  
Firmato cessant signa profecta polo.  
Quin & Zacharides, Christo appellatus Elias,  
Non ullos legitur morte vocasse viros.  
Quæ maiora dari poterunt miracula, quam quæ  
Iam referam, ò Clarij lecta corona chori?  
Cum se T E Z E L I O opposuit, nil tale quid unquam  
Lutherus voluit, quod monumenta docent.  
Tantum effrenati mendacia putida scurræ  
Exosus, niueo prodidit ore dolos:  
Nil quicquam prodest emta indulgentia numis,  
Expiat in ligno crimina Iesus, ait.  
Verum ad conflictus nolens protractus ab isto  
Reddidit, extinctam per mala facta, fidem.  
Fermentum abstergit, commenta sophistica tollit,  
Liberat humana traditione suos.  
Vix egressa domo vox totum peruolat orbem,  
Fama Euangelij fertq; refertq; sonum.  
Idq; vt commodius fieret, paulò ante repertos  
Prælorum dederant Numina amica typos.  
Pulso Barbarico cœno surrexerat arti  
Et linguis splendor, quo caruere prius.  
Hesperus attonitus stupet inclyta facta Lutheri,  
Axis Hyperboreus dogma salubre stupet.  
Nempe fatigatæ nugis, solatia, mentes  
Acceptant avidè fonte petita sacro.  
Dentibus infrendet mundus; stomachatur Auernus:  
Papa dolet: Cæsar pendet; Agyrta fremit.  
Christus ouat: superi rident: Ecclesia gestit:  
Lutherus sperat: crescit ouile D B I.  
Labitur hora data, & tempus breue metra coarctat,  
Clio carbaseos contrahet inde sinus.

Thesbitæ

Thesbitæ paret cælum, & vel deijcit imbres,  
Vel sub perpetuis Solibus vrit agros.  
Supplicibus votis Lutherus proderat orbi  
Christiadum, & felix hoste trophæa tulit.  
Vnus erat monachus, despectus, pauper, inermis,  
Sed strauit fortes viq; opibusq; manus.  
Viuebas pacata tuo viuente propheta,  
Ridebas Latij, Teutonis ora, dolos.  
Hem quantas lacrymas fudit, suspiria quanta?  
Hem quantus paruo pectore feruor erat?  
Quando tendebat palmas cum voce supinas  
Ad cœlum? superam quando rogabat opem?  
Vt patrem soboles compellat, amicus amicum,  
Sic noster Domini constitit ante thronum.  
Multoties inter sua verba precantia dixit:  
TU DEVS es noster, causaq; nostra tua est.  
Non huc sum raptus priuæ utilitatis amore,  
Me mouit Nati gloria sola tui.  
Ista prius pereat Vulcano machina mundi,  
Quàm spreto cœtu te Pater alme neges.  
His ad conuexum cœli penetrare profusis,  
Collegit mentem speq; fideq; calens.  
Et curas animis pendentibus eximit ista  
Fortuna, & spondet prospera fata suis.  
Cur trepidare metu, cur indulgere dolori,  
Cur fœdare tuis vnguibus ora placet?  
Votis, non lacrymis, fors immutatur acerba,  
Quod cepit Christus texere nouit opus.  
Irarum Præsul Romanus fluctuet æstu,  
Tartara cæca furant, miles in arma ruat.  
Et videt & ridet conatus Numen & artes,  
Certè causam æther religionis aget.

D

Credite

Credite Germani, dum Spiritus hos reget artus,  
Nulla petent vestros bellica damna Lares.  
Cum verò optato mea soluero lumina letho,  
Ne tristi vereor patria clade gemat.  
Idq; benè euentus docuit, nam tempore vatis  
Teutonicum nullo palluit hoste solum.  
Sed vix in gelida fuerat tellure repostus,  
En nostra in patria miles Iberus adest,  
Et quasi prædictum Lutheri nescius implet,  
Ut post dicetur conueniente loco.  
Hinc ergò apparet, Lutherum Flamine ductum  
Ante futura suo significasse gregi.  
Sapè etiam falsi cecinere futura prophetæ,  
At præsaga boni concio nacta malum est.  
Complicibus iunctus Sedekias, Dæmonis astu  
Promittit regi prælia fausta suo.  
Quid fit? Tartareo suasu seductus Achabus  
Funesto iaculi vulnere stratus obit.  
Sed gens pontificum nobis occurrit, & inquit,  
Frustra Lutheri dogmata laude vehis.  
Cum sedis Latix cultus floreret & ardor,  
Et nesciretur Doctòr in orbe recens:  
Aurea secula erant, nunquam feges ægra negabat  
Victum: non nôrat Mars truculentus humum.  
Nulla venenata lue corpora victa iacebant,  
Non flebant scissis sacra fidesq; comis.  
Iunxit concordés eadem sententia mentes,  
Omnes vnus religionis erant.  
Exercent hodie mundum infinita malorum  
Agmina: contages, prælia, secta, fames.  
Fraterna humano dilectio corde refrixit:  
Virtutes, olim quæ viguere, silent.

Can-

Candor & integritas periere libidine pulsi,  
Ad superos redijt fessa labore Themis.  
Prodigus & Nabal frugalem odere cateruam,  
Regnant pro cana sobrietate scyphi.  
Vix Euangelium nostros inuiserat agros,  
Omnia funesta cæde repente rubent.  
Vnius ausa viri partes in mille fatiscunt,  
Consuetos ritus hic probat, ille fugat.  
Hic cœna apponit cum vino ac pane cruorem  
Corpusq; ille negans nuda elementa docet.  
Hic defunctorum laudat simulacra piorum,  
Ille vagus templis eijcienda putat.  
Mox surgunt alij, qui quærunt fraude recessus,  
Et verbi fatagunt vi spoliare sonos.  
Infantes alij nolunt Baptismate tingi.  
Somnia quis placidè plura referre velit?  
Tandem paganæ furtim coiêre phalanges,  
Vastaruntq; suos seditione focos.  
Nulla magistratus reuerentia agreste mouebat  
Vulgus: sternuntur limina multa solo.  
Paulatimq; malum plures repebat in oras,  
Sumebat vires virus eundo sibi.  
Et nisi principibus maturè incendia tanta  
Essent felici depopulata manu:  
Omnia Teutoniæ tum flammæ regna vorassent,  
Hæcq; habitaretur terra relicta feris.  
Ah quàm funesta ceciderunt strage coloni,  
Plenus cæsum sanguine campus erat.  
Et, si corporibus tantùm perijisset id agmen,  
Forfan tanta forent damna dolenda minus.  
Sed cum corporibus Strygio sub carcere mersæ  
Mœstæ animæ lugent ignea stagna lacus,

Ignea stagna lacus , qui non cessabit in æuum  
Vrere damnatas , Tartareosq; Duces.  
Hei quid deterius mens cogitet? algida oportet  
Horreat, & panico tota stupore labet.  
Quando subit piceæ crudelis pœna Gehennæ,  
Quæ non est finem , non habitura modum,  
Huc hominum coniecisti tot millia scriptis  
Tu Luthere, Papæ clamat iniqua cohors.  
Præterea nobis in tempora pessima vertis  
Optima , quando tua dogmata voce nouas.  
Semina reddebant olim cum fœnore sulci ,  
Vasa replebantur nobiliore mero.  
Non cludebat messem fallacibus herbis  
Vana seges. lætus cultor arabat agrum,  
Speratis hodie viduatur fructibus arbor ,  
Vinea purpureis vitibus orba dolet.  
Mœstus ager torpet , steriles dominantur auenæ,  
Luxuriat lolium: flumina pisce carent.  
Hortus olus : volucres aër : ramosa metalla  
Tellus : sylua feras: gramina prata negant.  
Hæ sunt hæresium pœnæ , quas irrogat æquus  
Iudex , vlciscens spreta statuta malis.  
Non impunè feret , Christi qui destruere astu  
Tentat vel fastu, Marte vel arte gregem.  
Væ tibi, si vitæ offendant exempla vel vnum ,  
Væ tibi , qui temerè linquis ouile D E I.  
Quid respondebunt, qui Christo autore redemptos  
Secum infinitos ad Phlegethonta trahunt?  
O si Lutheri nomen caligine tectum  
Ignoraretur , scriptaq; flamma voret:  
Quàm felix esses Germania , quamq; beata ,  
Et tua per placidas cymba volaret aquas,

Verum

Verum flebiliter turpi vastare veneno,  
Acceptumq; refers motibus esse nocens.  
Tot nostrum in vatem jaciunt conuicia linguæ,  
Quos Latij monstri somnia vana iuuant.  
Verum operæ pretium faciemus, vt arbitror, ista  
Si discusserimus feruidiore metro,  
Concio dicenti linguisq; animisq; fauebit,  
Quam Lutherani nominis aura tenet.  
Non equidem inficias imus nos, perfide, priscis  
Temporibus nostros peius habere dies.  
Sinceris animis hæc euenisse fatemur,  
Quæ fusè placuit iam recitare tibi.  
At, bone vir, quo tu poteris candore probare,  
Esse Lutheranis ista profecta scholis.  
Sermonum censes tibi fortè licere tuorum  
Reddere vel causas vel tacuisse scelus.  
Obijcis: Illa sacris pugnat doctrina libellis,  
Quam Lutherani proposuere viri.  
Dicere te video, sed robore dicta poposci  
Muniri, quod te non reperire scio.  
Lutherus puris scripturæ fontibus hausit,  
Quæ nobis lingua tradidit, atq; stylo.  
Præstans effectum producit causa benignum,  
Non generat damnum flebile dogma bonum.  
Est Satanus, verbi qui nequitiosus abuti  
Prætextu, & sanctis damna creare solet.  
Cursum Euangelij vt dura sub mole retardet,  
Et fulcimentis tetrica regna iuuet.  
Accedit leuitas hominum, qui (turpe relatu est)  
Sanguinis ac animæ prodigi iniqua probant.  
Sed licet immineant ceruicibus vndiq; nostris  
Armi potens Mauors, & lue iuncta fames,

Duntaxat nostra Christus tellure moretur,  
Cuius si mihi erit gratia, quæq; feram.  
Felices animæ, quibus his subscribere primum,  
Tarpeia abiecta pellice, cura fuit.  
Sanè illos pariter vicijsq; jocisque necesse est  
Altius his nostris exeruisse caput.  
Non fauor & damnum sublimia pectora fregit.  
Cæsareæq; minæ, pontificumq; doli.  
Admovere oculis monumenta prophetica nostris,  
Nec sacra ingenio supposuere suo:  
Sic petitur coelum, non vt quis honoribus amplis  
Floreat hoc mundo, diuitijsque Tagi.  
Nos quoque sub ducibus coelo importabimur illis,  
Et dabitur nivea prosperitate frui.  
Ergo crucis fortes superabimus aspera tela,  
Qui volet in Christum credere damna feret.  
Sit felix Ganges, sitque auro turbidus Hermus,  
Possideat magnas ater Iberus opes.  
Extera fragrantij regio sit dives amomo,  
Et sudata ferens arbore thura crepet,  
Cinnama difficilis nobis natura negârit,  
Nec crescat nostro Costus Eoa solo:  
Nil refert, etenim nec Bactra, nec Itala tellus  
Teutoniæ certent laude bonisque datis.  
Illi, perpetua & densa caligine cæci,  
Immani fundunt impietate preces.  
Nos hic ætheria viventes luce corusci,  
Salvifica colimus Numina vera fide.  
Res bene habet vatis nostri, Romane sacerdos,  
Certè Thesbiten hac quoque parte refert.  
Nam licet is semper spectârit commoda regni,  
Iuverit & votis sceptraque gregemque suis;

Hanc



Hanc ignominiam tamen audit, cuncta quod ipse  
In mala contendat præcipitare suos.  
Fallor? an hoc ipso quo carpis dogmata nostri  
Vatis, confundis te quoq; rafa cohors?  
Si, quod nugaris, verum est, putere necesse est  
Doctrinam, lingua quam perulante sonas,  
Nam quoties eadem mala sensisti ante Lutheri  
Diuinos ausus, dic age foeda lues?  
Nonne tuos morbus vexavit sæpè Penates?  
Nonne feri Martis prælia? nonne fames?  
Non vox sufficiat, non tempus, concio, tantum  
Plerasq; historias si memorare velim.  
Vnum est quod mecum perpendas altius oro,  
Fortè Camœna suo tempore plura dabit.  
Quis nescit quondam studijs discordibus actum  
Imperium, pariter tres habuisse Papas?  
Opponit semper rixas & schismata nobis  
Pellex, diffidijs mortua penè suis.  
Ordinibus fermè innumeris multa arte repertis  
In partes abiit mille Latina domus,  
Elati Drydæ syluis claustrisq; latentes,  
Rident presbyteros, qui docuere foris.  
Iamq; Suitarum surgit fex impia, fratres  
Quæ reliquos omnes vult superare bonis.  
Hi rident illos, illi hos, & cuiq; videtur  
Supra alios meritis se placuisse Deo.  
Christiparam natam cum labe docebat Aquinas,  
Sed contra assurgens nobilis ille Scotus,  
Omnibus immunem pugnabat sordibus esse,  
Quæ sine peccato ventre tulisset onus.  
Scinduntur monachi studia in contraria prorsus,  
Flaminis Ausonij qui maledicta fouent.

Vsq;

Vsq; adeo vt tandem rixam hanc peiora sequantur,  
Bernatum veluti nos monumenta docent,  
Nam qui postremo subscripserat ordo furori,  
Aduersæ parti cedere durus erat.  
Cum verò latebras præberent Biblia nullas  
Astu propugnat præstigijsq; logos.  
Incautam plebem visis mendacibus vrget,  
Ostentis ad se credula corda rapit.  
Verùm, animaduerso fuco, confusus iniquis  
Confilijs, pœnas vltus ab igne dedit.  
Falsa semel temerè conatus adire proteruus  
Ceptum perpetuo stamine textit opus.  
Ignarusq; mali, furioso percitus œstro,  
Serò fata dolens in sua damna ruit.  
Hactenus Aufoniæ probrum destruximus aulæ;  
Quo Luthere tuum dogma salubre grauat.  
Iam paucis hominum censuram discute mecum,  
Qui Lutherum aliàs ore subinde ferunt.  
Turpe quidem dictu, sed, si modò vera fatemur,  
Inter nos facinus sæpè patratu idem.  
Quando Euangelij sub cognitione premuntur,  
Numinis oblitu sæpè nefanda sonant:  
Quid nos sacra iuuant: quid Papæ sinistra quiescunt?  
Quid prodest tota mente timere DEVM?  
Quando preces olim sanctorum fudimus aris,  
Nullum tangebant limina nostra malum.  
Dante DEO distendebant vasta horrea messes,  
Esuries hodie torquet anhela Lares.  
Heu mihi, quid queritaris inepte? quid audio? num tu  
Cultus metiris prosperitate sacros?  
An nescis omnes subiectos esse periculis,  
Quos vigil æternæ cura salutis agit?

Sint

Sint multi, atque opibus valeant, & honoribus amplis,  
Itala qui flexo poplite monstra colunt,  
Grex pietatis amans semper solet esse pusillus,  
Et superat numero reprobus ordo bonos.  
Temporibus Christi vix vnus & alter in vrbe  
Sacra, Iusticiam qui sequeretur, erat.  
Maxima pars, offensa novo Doctore, peribat,  
Turpe Ministerij jus venerata sui.  
Sic Frisix dux ille, pedem cum fixerat vnda  
Baptismi, resilit fata secutus avum,  
Quos omnes alijs audit referentibus, œstro  
Gentili victos summum obiisse diem.  
Malebat multis stipatus adire Gehennam,  
Quam paucis superum recta beata sequi.  
O dementatum tristi caligine, certè  
Sentis stultitiæ damna sub igne tuæ.  
Vera sub assiduis Ecclesia fluctibus hæret,  
Semper habet mixtos, qui malè damna ferunt.  
Sic linguis stolidis plebs dura resistit Eliæ,  
Sic Moyse oggannit turpis Apella duci.  
Vidit idem Helciades inter suspiria: vidit  
Beerides fugiens impietatis idem.  
Viderunt alij similes in plebe tumultus,  
Quos occulto lubens prætereunte gradu.  
Quid facis? ah quæ te miserum dementia cepit?  
Num falsos ritus per tua facta probas?  
Non horret tumidum nimbofis fluctibus æquor,  
Quod vero Christi pectus amore flagrat.  
Hæc fortè vberius videor tractasse, sed oro  
Des veniam, breuiter subijcienda canam.  
Thesbires, multo fractus iam membra labore,  
Cum plausu ætheriæ gaudia sedis adit.

E

Mille

Mille quidem solers hostis tentauerat artes,  
Sed quæ posset eum sternere, nulla fuit.  
Sudorum vitæq; satur, sine sanguine, lætus  
Flammanti curru concitus astra petit.  
Quot verò & quantas clades expertus Hebræus  
Sit populus, raptò turbinis igne viro:  
Testantur sacris monumenta recondita libris,  
Quæ ne commemorem, tempora lapsa vetant.  
Sic Germanorum lux, & postremus Elias,  
Per totam vitam plurima damna tulit.  
Et tandem varijs curis confectus & annis,  
Hæc mundi relinquens tædia, lætus obit.  
Nil mundi infidiæ poterant, nil Dæmonis astus,  
Nil vis, nil fremitus, nil potuere strophæ,  
In plumis moritur, rumpantur vt ilia Papæ,  
Commendant animam serua vota DEO.  
Defuncto lacrymans claudit vir amicus ocellos,  
Sancta q; honorificè membra reponit humo.  
Heu quantum decus & thesaurum Teutonis ora  
Luges, orba tuo Vate relicta lupis.  
Iam, quid profuerit rebus communibus iste,  
Agnoscis: sapiunt fruge carendo Phryges.  
Ardenti gemitu tibi murus aheneus ante  
Tristem obitum fuerat, præsidijq; loco.  
Magnus Alexander tenues dilapsus in auras,  
In planctus iecit subdita corda graues.  
Nempe phalanx, Ductore suo spoliata, Cyclopem,  
Pupula cui perijt vecte peremta, refert.  
Sic habet infans Ecclesia iacta procellis,  
Postquam flet patris funera mœsta sui.  
Hic oculus fuerat, quo perspiciente remota,  
Sunt secreta nigris candida, falsa bonis.

In

In varias sese formas mutabat Echidna,  
Vt faustè ceptum destrueretur opus.  
Hinc Catabaptistas, illinc portenta vomebat  
Dipnosophistarum, monstraq; mille canum.  
Sed noster vigilans sacra speculator in æde  
Deprensis vicit voce sonante dolos.  
Christiadas monuit, technas fucosq; cauerent  
Hæresium, & blandi tetra venena lupi.  
Hoc moriente cadit coetus pars optima nostri,  
Quam metuunt tristi fulmina missa Styge.  
Obuius ardenti nemo se impune ferebat,  
Dissecuit verbo quaslibet ense strophas.  
Horrebant hostes olim, quæ vatis ab ore  
Tincta Periclæo verba lepore fluunt.  
Colluies, epulum summè venerabile Christi  
Oppugnans ficto robore, victa dolet.  
Non frangebatur scriptis, non fulmine linguæ,  
Tantus in eximio pectore Zelus erat.  
O funesta dies, atrisq; notanda lapillis,  
Quæ nobis summam spem columenq; rapis.  
Quam magnum nostræ subtraxeris inuida terræ  
Præsidium, tradunt proh dolor historiae.  
Sex anni, ter quingenti, lustra octo, perennis  
Elapsa a partu Virginitatis erant.  
Februa lux ibat madidis bis nona quadrigis,  
Huic ubi tranquillè stamina Parca scidit.  
At modo signiferum Titan absoluerat orbem,  
Vt bellis fuso sanguine terra madet.  
Leucoris ipsa, fero perterrita milite, clausa  
Portarum referat limina, iussa Duce.  
Et, quod mireris, Dux seruantissimus æqui  
Cum sobole & dulci coniuge regna fugit.

Heu veræ pietatis amor, Themidosq; stupendus  
Assertor, collo vincula dura subit.  
Inclyte salve heros, & constantissime Martyr,  
Salve, qui tutor religionis eras.  
Subdita iam pedibus cœlestia sidera calcas,  
Pro cruce stellanti gaudia sede capis.  
Hostis perpetuos angores deflet Auerno,  
Quæq; olim afflixit corpora sancta, gemit.  
A morte Elisæ nondum deflexerat annus,  
Cum Rex Israël stratus ab hoste fuit.  
Sic Augustini sequitur post funera clades,  
Vandalicisq; armis Africa penè perit.  
Vrbis, quam multos verbo formauerat annos,  
Captæ sternuntur culmina celsa solo.  
Scilicet ærumnas portentunt fata piorum,  
Qui flexere prius supplice voce polum.  
Non secus atq; domus, fulcro spoliata, fatiscit,  
Et nisi succurras, mole soluta ruit.  
Porrò non temerè multis fatale videtur  
Nomen habere dies, qua cadit ille pius.  
Est ea sacra tibi nostris, Concordia, fastis,  
Certè hîc multa piè, quæ meditemur, erunt.  
Viuo Luthero fuerant concordibus omnes  
Iudicijs, biberant qui benè fonte sacro.  
Namq; verebantur tanti Doctoris acumen,  
Lumina in hoc vno cuncta stetero viro.  
Sed sanctis gelida positis vix ossibus vrna,  
Dissiliunt, primum quisq; securus iter.  
Gliscunt errores, tacitè contagia surgunt,  
Ad tetrum sensim pectora virus eunt.  
Configunt oculos cornicum, fraudis amantes,  
Ac imposturas pro pietate serunt.

Incautas

Incautas fuscant cæca ignorantia mentes,  
Hærentes animos nubilus error agit  
Aurea Lutheri incipiunt sordere palatis  
Scripta, & Caluini nomen in vrbe viget.  
Nec mirum est, etenim quoq; Pindarus, optimus autor,  
Olim iudicium per rude victus erat.  
Omnia cõspurcans serpit gangræna sub aulas,  
Perniciosa lues oppida tota capit.  
Consuetas tentat veterator Ecebolus artes,  
Et triste admota virus in aure sonat.  
Summa Draco spirat, magnus vult esse malignus,  
Vtq; sit, expungit, quo stetit ante, caput.  
Impete funesto tristi se mancipat Orco  
Sacrorum vigilans qui modò cultor erat,  
Inclinata perit pietas: extorribus olim  
Qui tulit auxilium, iam crepat exilium  
Fert corruptelas: funestat cædibus aras,  
Christi ludæis assecla peius habet.  
Mobilis impostor, vernaq; incertior aura,  
Nunc hos, nunc illos prædicat ore libros.  
Quandocunq; libet, facit ex pietate cothurnos,  
Corde tumens, scriptis callidus, ore minax.  
Cæcior Hypsæa existens rationis acumen  
Laudat, & articulos æstimat artis ope.  
Quid demens molire? quid audes perfide doctor?  
Omnibus inuentis se tuus aptat amor.  
Quid Lutheranas phrasas imitatus, Hyænæ  
Instar, præstigijs dira venena tegis?  
Voce DEVM simulas, premis alto corde Barathrum,  
In casses donec mens, lue victa, cadat.  
Qua te censebo & socios vertigine duci?  
His qui pectoribus candor inesse potest?

E 3.

Quid

Quid benè promeriti cineres & dogma flagellas ?  
Cur quæso nasum Rhinocerotis habes ?  
Cæca est diuinis humana scientia rebus ,  
Sola valet stupida pro ratione fides.  
Sensus hebet noster, nec habet , quòd in æthera surgat,  
Ingenio verbum sit Cynosura tuo.  
Abstineas hortor , non est sine vindice noster  
Vates, perpetuò, qui tueatur, erit.  
Rumpere liuor iners, magna est iam fama Lutheri,  
Maior erit, tantum , quo pede cepit, eat.  
Dum maledicta ruunt, manet insuperabile verum,  
De verbo Domini non cadet vllus apex.  
Tantum de causa præsentis, cætera mitto.  
Vt finem faciam tempora lapsa iubent.  
Plura quidem restant, quæ possent forsan eidem  
Materiæ lucem reddere luce sua.  
Zoilus obiurgat Lutherum , spurca Mineruam  
Sus, opifex lingua pessimus, arte rudis.  
Qui semel inspexit Bibliorum fortè recessus ,  
Tanti Doctoris Doctor is esse potest:  
Scilicet infontem censoria virgula damnat,  
Laxans iudicij frena proterua sibi.  
An non hæc eadem Thefbite questus es olim ,  
Momus, qui morfu te violaret, erat.  
Multis Lutheri vehementia carpitur, atqui  
Elias ductus Numine fecit idem.  
Fert placida ceruice iugum , spernitq; Theonis  
Dentes, & tristem scit tolerare famem.  
Promptus ad exilium non horret carceris vmbra,  
Hostilesq; manus cum ratione fugit.  
Non alios præ se temnit stolidè, arte minores  
Vel donis ; promit, quod sibi deesse videt,

Omni'



Omnibus his noster Vates expressit Eliam,  
Pluribus vt posset Musa probare metris.  
Sed modus in rebus cum sit, cesso, nec abuti  
Nunc animo vestro tam patiente volo.  
Nulla fatiganda est facilis sermonibus auris,  
Tempore qui loquitur, vel tacet, ille sapit.  
Christe tui fortis protector & altor ouilis,  
A te, non alio profuit amne salus.  
In curam populi petimus consurge tuendi,  
Quem mundas omni labe cruore tuo.  
Nostras ceruices hostilibus impetit armis  
Cerberus, & tenebris involuisse cupit.  
Doctrinae lolium coelesti spargit in agro,  
Vt suffocetur nobile semen humo.  
Fraude tui serui infectatur scripta Lutheri,  
Tentatq; illius dedecorare decus.  
Monstrifis titulis oppugnat conscia recti  
Pectora: pro veris clam scelerata ferit.  
Affere splendorem verbi, famam affere Vatis,  
Qui viuis veri strenuus actor erat.  
Suffice principibus vires & Flaminis auram,  
Qui precio & donis oia nostra fouent.  
Tutantur manes reuerendi Patris: honestas  
Artes munifica sedulitate iuuant.  
Dipnomachos odere, strophis fallacibus aptos,  
Defugiunt virus lubricitate vagum.  
Pelle famem: gladium prohibeto: disijce morbos:  
Exultet Bacchus, gaudeat alma Ceres.  
Impendent certe iugulis incommoda nostris,  
Quae portenduntur signa per ista poli.  
Se coelum ignito crebro diffundit hiatu,  
Sol obscuratur, Luna colorat equos.

Quid

29 5302

Quid sibi quæso volunt nebulæ? quid foetidus aër?  
Quid vehemens æstus, corpus & arua premens?  
Quid terræmotus varijs repetitus in oris?  
Quid Vulcanus edax oppida tota vorat?  
In nos bacchatur lectum imbribus agmen aquarum,  
Sternuntur segetes, vinea, prata, solum  
Alme opifer, digni (non inficiamur) eramus  
Quos absorberet terra patente sinu.  
Sed si vis omnes irarum effundere habenas,  
Quis feret immiti fulmina iacta throno?  
Nos, culpæ oblitus, pacato respice vultu,  
Gratia læticiæ spargat ab axe iubar.  
Si tamen omninò iam stat sententia, pœnis  
Vt compensentur crimina nostra suis.  
Mitiget immensus Patris fauor ille furorem,  
Melle redundanti fellis amaror eat.  
Quando caro mœret, subsultans spiritus intus  
Te Dominum motu liberiore canat.  
Corpora quando fame torques, animabus in ista  
Pauperie verbi pabula linque tui.  
Quando Mars truculentus agris grassatur & vrbe,  
Cœlesti facias pectora pace frui.  
Si qua lues tabo pallentes conficit artus,  
Vis animæ, tenebris libera mortis, ouet.  
Floreat optatis Academia nostra triumphis,  
Et fausta sternat castra inimica manu.  
Ornent Doctores pietas, doctrina, fidesq;,  
Discentes pacem sobrietate colant.  
Cum placido viuat concorditer aduena ciue,  
Exultent nostræ prosperitate domus.  
Sic tibi Musa D E V S præconia digna sonabit,  
Sic tuus æterna laude feretur honos.

D I X I.

M.C.



ULB Halle  
006 609 570

3





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13



IAS,

INI  
ELIÆ

MPARA-

ABC I-

uiter

VVOL.

200.

590, DIE

MARTINO

batur in illu-

enua de-

ac

anni

